Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8261
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

intestinorum ex ventositate val3
digestionem confortat pulvis
eius si cum bombace supponatur
valet contra thenasmon de frigida
causa pulvis in cibis exhibitus
sincopizantibus valet Est autem
duplex maneries zinziberis
Est enim domesticum est et sil-
vestre quod karopos est coloris et
saporis vehementer acuti et
solide substantie domesticum subalbi-
dum est acutum habens saporem
sed non adeo vehementem nec sub-
stantiam adeo solidam Et cum frangitur
partes ibi coherent in quibusdam
ramusculis quod in silvestri raro
vel numquam reperitur per biennium
servatur et cum pipere multo me-
lius servatur. de zeduaria

Zeduaria calida est in 3°
gradu et sicca in 2°. Radix
est cuiusdam herbe per
x annos servatur ¶ Vinum decoc-
tionis eius contra tussim frigidam
valet et contra dolorem stomachi et in-
testinorum ex frigiditate ut ventositate
¶ Suppositorium ex eo factum et
teriffera magna matricem cale-
facit et mundificat ¶ Salsamen-
tum ex eo factum et rosemario
et pane asso et aceto appetitum
excitat et digestionem confortat

Zuccarum de zuccaro
calidum est et humidum tem-
peratum in primo gradu virtutem
habet humectandi et infrigidandi
cum frigidis et relaxandi cum in sy-
rupis debet poni. si due libre
sint zuccari una sit aque si ecce
multo plus sit ibi de aqua non
noceret nisi per diuturnitatem decoc-
tionis ¶ Zuccara fit de canna
mellis in transmarinis partibus
et in Sicilia et in Hispania sic
circa festum beati Iohannis baptiste
incole accipiunt cannam mellis
que fere est similis alii canne preter
quod interius solida est. et dulcis-

Illa scilicet canna palustris est concava
et insipida, findunt eam per me-
dium et per minuta frusta dividunt
et pistant postmodum ponunt pis-
tata in lebete et faciunt bulire
ad lentum ignem ad spissitudinem
spumat de qua spuma fit zuc-
carum sophisticatum et levius est
alio et interius cavernosum
multo, per quod discernitur ab alio
Unde cavendo quod in magna emp-
tione zuccari tortellus fran-
gatur. et gustetur Si enim est intra
foraminosum valde et gustu non
sentiatur valde dulce sed quasi
evanescat in ore et qui decepi-
tur in masticando sentiat illud
vanum et spumosum esse Bonum
vero faciunt zuccarum de residente
spisso liquore prefato quod fere re-
frigeratum ponitur rotundo ad solem
et tam per calorem solis quam per
longam decoctionem fit durum et
album, et per quinque annos potest
servari in loco nec nimis ca-
lido nec nimis frigido / Cuius
usus in multis est necessarius ut
pote in confectionibus medicinarum
dandarum acute febricitantibus.
et in syrupis que qualiter fiant
patet in libris et maxime in
antidotario et cum insipienti
actu agere hodie supersedemus / Et
non quod zuccarum multum valet
sitibundis viatoribus oblatum cum
non habent liquorem in calida
regione, et prodest ptisicis et
consumptis et asmaticis et tus-
sientibus positum in cibis et poti-
bus ore resumit et exte-
nuatos et lubricat siccitatem
¶ Ne vero presentis operis proli-
xitas in immensum diffundatur. hic
leto fine illud concludimus ¶
Hactenus archanum Salerni
duxi corporibus, littera iam lasso
pollice sistat opus. Amen

Explicit liber plateary de singulari et simplici medicina